

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo CLX.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

gritatem cordis parit: *Puri estis ob verbum, quod predicavi vobis*, inquit Christus; Joh. 15:3. Efficaci prædicatione verbi corda aperiuntur, Act. 16. ut Lydiæ, corda purificantur, Act. 15. Jer. 4. Jac. 4:8. conscientia convincitur, hoc verbum totum hominem penetrat, ipsum qualis sit manifestat; ipsi aperit peccata, præsertim hypocrisin in corde latentem; ideo hanc prædicationem verbi sedulo quæramus, exspectantes quid Deus per ipsam in cordibus nostris operari velit.

2. Confessio ac deploratio innatæ hypocrisis. Simul ac homo in hunc mundum nascitur, peccator est, cui hoc vitium adhæret; ideo in tempore contra illud precibus & verâ humiliatione laborandum, ut ab illo liberari possimus.

3. Fides in Christum Jesum, quæ corda purificat, Act. 15:10. Ubi enim infidelitas, ibi fucus & hypocrisis, Hebr. 3:12. at ubi fides, ibi homoperpicit suam miseriam, & simul Dei misericordiam elucens in Christo Jesu, & hæc frangit cor hominis, & excirat desiderium & amorem Dei, quod homo se Deo tradit ipsique in integritate vivit, Psal. 26:3.

4. Qui studet acquirere integritatem cordis, is omnibus in locis & temporibus velut in conspectu Dei ambulare debet, præsertim cum versatur in rebus sacris, hoc enim ab Abrahamo Deus flagitat Gen. 17:1. *Ambula coram me & esto integer*; in tua vocatione, domi, foris, in conclavi, in omnibus colloquiis & actionibus tuis, respice Deum, qui te videt, perpende sanctam ejus naturam & proprietates, tum certo exterminabis hypocrisin ex tuis actionibus in conspectu ejus.

5. Exploratio nostri, examen omnium actionum nostrarum; prout enim faber lignarius regulam suam sæpius applicat ad explorandum, num ligna sint obliqua; sic sæpius adhibenda regula verbi Dei actionibus nostris; & hoc maximè adminiculo erit ad innocentiam vitæ & integritatem cordis.

Præter media hæc generalia insuper applicari possunt alia specialia, quæ nos in hoc proposito juvare possunt, scilicet

1. Vitanda prava consortia, Psal. 26:4. Job. 3:5. Psal. 1:1, 2. 2. Cor. 6. 1. Cor. 15. Illi verò vitandi præcipuè, qui sunt indurato corde, vel securo, infideli, hypocritico.

2. Quærenda societas bona, Psal. 119: & 26:8. & 16:3. imprimis eorum, quorum corda integra, humilia & fidelia, &c. ac Deo grata.

3. Nullum peccatum extenuandum; spina quantumvis pusilla, pungit tamen & femini fraudi est.

4. Peccatum commissum non celandum, est enim latro, parricida, proditor animæ, non diu hospicio fovenda, Psal. 32.

5. Sapere debes cœlestia, non terrestria,

Col. 3:1. claudicat & passu iniquo procedit, qui pedem alterum habet decurtatum, alterum verò porrectum, &c.

6. Custodiendum cor, Prov. 4.

7. Non in utrumque latus claudicandum, 1. Reg. 18. Hebr. 12:13.

8. Non in externa specie subsistendum; 2. Tim. 3. Exod. 20:24.

9. Persistendum in fidelitate, 2. Pet. 3: ult. Hof. 2:7.

10. Pietate cor fulciendum, Psal. 86. Jer. 3:1.

11. Tempus, quo solus es bene collocare debes cum Mose.

12. Via Domini non sinistrè interpretanda, licet affligat intus & exterius.

SERMO CLX.

III. **S**igna veræ integritatis sequuntur; cor enim sincerum diversis dignoscitur notis.

Signa seu characteres cordis honesti,

Respectu	}	Dei Patris.
		Filii.
		Spiritus sancti.
		Verbi Dei.
		Sabbathi Dei.
		Fidelium & sanctorum Dei.
		Sacrarum Dei ordinationum.
		Ipsius hominis, qui cor tale possidet.

1. Respectu Dei hæc reperiuntur proprietates in corde integrò: 1. Ratione Dei

a. Indies studet propiùs appropinquare Deo, & sanctam communionem colere cum ipso, secundum illud monitum Job. 21:21. Patrie.

Prout infantes concoquere non possunt, si parentes se duros & quasi alienos erga ipsos præbent; sic Dei filii animo perferre nequeunt, si Deus abesse videretur; lucem faciei Dei majoris faciunt omnibus mundi divitiis; magis gaudent hac luce, quàm mundani frumento, vino & oleo suo (Psal. 4:7, 8.) quas res terra eis suppeditare potest. Nihil majorem apud ipsos tristitiam parit, quàm si Deus faciem suam abscondit, cujus lucem ante omnia quærunt; crucem & afflictionem cum Deo eligunt præprospérité mundi sine Deo; malunt in Dei causa pati mundi opprobrium, quàm frui temporaria peccati voluptate, Hebr. 11. Deum apprehendunt ut Deum perfectissimum & verum הוה, omnemque creaturam æstimant vanitatem sine Deo: optant, cor suum uniri cum Deo, Psal. 86:11. dicuntque, *ô quàm bonum est adharere Domino*, Psal. 73:28.

β. Studet sese Deo sistere probatum in omnibus, præsertim in cultu ejus, in auditione verbi, precibus, usu Sacramentorum; accurat apprimè, ut Deo gratus sit in omnibus actionibus

bus suis, 2. Cor. 5:9. & eo sine cum Davide orat, Psal. 19. ult.

γ. Promptus est ad honorandum Deum in omnibus etiam cum quovis dispendio; nil ipsi tam carum, nullum opus tam arduum, nullus tam difficilis labor, quin omnia impendat, si Deum iisdem honorare possit; imò promptè sanguinem fundit, si eo Deus delectetur; imò sic gaudet fieri instrumentum Dei gloriæ, prout videre est in exemplis Abrahamæ, Davidis, Danielis, aliorum, quibus mundus indignus erat, Hebr. 11. Tales, quia exspectant gloriam cum Deo in cælis, etiam Deum honorant omnibus modis in terris.

δ. Homo integer Deum portionem suam & unicum thesaurum facit in hoc mundo, Psal. 73:25. Corde & animo suo de Deo cogitat, affectiones in eum collocat unicè, voluntate ipsum appetit, corde desiderat, linguâ loquitur, ejusque veritatem & bonitatem deprædicat totâ vitâ; talis Deo contentus vivit & abundat; & licet dives omnium bonorum terrenorum, nisi in eis sentiat Deum cum benedictione ejus, in illis non sentit ullum gaudium; potiùs optat Deum sine illis, quàm illa sine Deo, novit enim Deum esse summum bonum omnibus sufficiens; aliis relinquit hujus mundi honorem, divitias, amicos, &c. Ejus est sententia, Diripiat mundus omnia, modò solâ Dei præsentia fruar ego; omnia lubens pro hoc thesauro cedit.

Respectu Filii Dei, Domini Jesu Christi, quatuor sequentes proprietates in corde integro & puro reperiuntur.

α. Maximi facit Christum, & præ mille mundis diligit, imò omnia stercora & damnum esse ducit propter ipsum, Phil. 3:8. Hic est, inquit, integer corde, quem diligit anima mea, contentus sum relinquere omnia propter ipsum, modò amore & communionem ejus fruar; nec curo, qui me ament vel odio prosequantur.

β. Animam suam in domicilium præparat Domino Salvatori suo, Eph. 3:17. & studet eam ipsi sistere incontaminatam, cor suum purgat vera mortificatione, & lavat lacrymis respicientiæ, lucemque cognitionis beatificæ ponit in candelabro animæ, & suavi odore precum & gemituum hostiam se præbet Domino suo; sicque hisce mediis Christo hospitium parat, utpote qui novit, Christum esse ipsam sanctitatem, & odisse omnem speciem mali, omnemque injustitiam ipsi esse abominationi.

γ. Obedit Christo ut Domino suo, Cant. 6:2. *Dilectus meus* (inquit anima fidelis) *meus est, & ego dilecti mei sum*: spiritualis est sponsus meus, sicque mea omnia, quæ mihi comparavit, 1. Cor. 3: ult. Meum est meritum ejus, mea est vita ejus, mea est gloria ejus, nam totus ipse meus est: & ego sum dilecti, cui meritò & lubens obedio, ut ipsum diligam, laudem, corpore & anima totisque viribus ipsi serviam, & ipsi vivam atque moriar.

δ. Promptus sequitur Dominum suum, studet ad ejus exemplum sese conformare, semper aliquid emendare ac ad perfectionem aspirare; cura ejus est vivere Christo, imò ut Christus vivat in ipso, & virtutes ejus, qui vocavit ipsum, luceant in conservatione sua; cupit ambulare cum Christo, & addiscere ex eo humilitatem sub cruce ejus; discit ex eo fervorem pro Dei gloria, & hic est scopus, quem sincerus Christianus respicit, & si minùs sequi ejus vestigia potest, Christum multis gemitibus implorat, Joh. 13:16. Rom. 8:29. Imò si aliqua corruptione impeditur, conqueritur cum Paulo, Rom. 7: ult.

Respectu Spiritus sancti homo integro corde quatuor sequentes qualitates habet, quas Spiritus ille in ipso operatur.

α. Promptus est ad preces, quas Spiritus sanctus cum ineffabilibus gemitibus suscitavit in corde, Rom. 8:26. Sæpe, quando homo talis incipit preces suas flexis genibus, adest divinus hic magister, qui instituit & docet, quomodo & quid orandum, sanctosque ciet motus, cum homo naturalis è contrario ad preces mutus est, & licet bona verba nectat, nullus tamen zelus & genuinus fervor accedit.

β. Spiritus sanctus talem etiam sanctificat corpore & animo, 1. Thess. 5:23. intellectum beatifica cognitione Eph. 5:8. ut se filium lucis demonstret; cor novis affectibus Rom. 8:23. conscientiam vigilantia, linguam, manus, pedes & membra reliqua facit instrumenta obedientiæ erga Deum & homines, Rom. 6:19.

γ. Spiritus sanctus etiam operatur tristitiam secundum Deum, 2. Cor. 7. ejusque fructus, quorum hominem non penitet, corque liquat ut cor Josiæ.

δ. Spiritus sanctus certiores facit integros, quod Deo sint grati ejusque filii, quare etiam *spiritus adoptionis* nominatur, qui *testimonium dat spiritui nostro, quod filii Dei simus*, Rom. 8:15, 16. Hic spiritus jucundam juxta & efficacem habet vocem, quâ alloquitur corda nostra cælitus, annuncians gratuitam peccatorum remissionem. Licet enim hic spiritus quemvis non expressis verbis alloquatur, ut Angelus Mariam, Luc. 1:28. tamen certum est, ipsum tali voce eos omnes alloqui, quæ incunda eis & valde grata, unde de remissione peccatorum & omnium bonorum inde promanantium planè persuasi & certi sint.

2. Sequuntur proprietates, quas homo integer possidet respectu Verbi Dei.

α. Magni valde ducit Dei verbum, preciosum est in oculis ejus, thesaurus electus, Psal. 19:10. Omnia præter hoc contemnimus habet, nihil perinde ut Dei verbum ipsum delectare potest. Si Deus ipsi ex una parte proponeret omnes mundi thesauros, ex altera verò Biblia cum thesauris suis, ut homo eligat quam par-

rem vellet, ut oprio olim data Salomoni, mox eligeret cum Salomone, Maria, Paulo, Dei verbum, quod continet veram sapientiam, partem meliorem, cognitionem Christi, posthabitis cæteris omnibus, 2. Chron. 1: 10. Luc. 10. ult. Phil. 3.

β. Esurit & sitit anima ejus Verbum, accedit cum appetitu ut homo sanus & laboriosus, optat diem dominicam & dicit, quando veniet dies, quo cum aliis domum Dei visitem, Psal. 42. & 84. Dicit cum Cornelio, *paratus sum audire quicquid Deus mandavit*, Act. 10: 33. Talis appetitum habet, ut infantes modò geniti lac appetunt, 2. Pet. 2: 2. nec acquiescit donec saturatus sit, &c.

γ. Animus integer delectatur lege & testimoniis Dei secundum hominem interiorem, Rom. 7: 22. Cùm audit Dei verbum, præsens est non modò externo auditu, sed intimo corde; intellectus capit verbum auditum, cor credit, affectiones adhærent, conscientia sese subjicit, memoria retinet, ne quid intereat, & rotus homo se non nudum auditorem, sed & actorem verbi demonstrat.

δ. Talis cupit audire integrum Dei verbum, ut Cornelius, Act. 10: 33. & in hoc semet discriminat ab hypocritis, qui pro lubitu assunt quod placet, & quod minus est ad palatum, repudiant. Josia exemplar est boni auditoris. Cùm audivisset judicia Dei ob peccata denunciata, cor liquefactum se per lacrymas quasi effudit. David severè reprehenditur à Propheta Nathane, at submissò corde centuram accipit: Abrahamus mandatum grave accepit, ut immolaret filium; at obediens mandato mox verbum recipit.

3. Ratione Sabbathi.

3. Respectu Sabbathi Dei homo integer sequentia observat:

α. Diligenter semet præparat, antequam Sabbathum adsit, & opera sua servilia exequi antè & seponere studet, ut cor ejus & attentio libera sit ad communionem cum Deo. Sic egit olim Josephus Arimathæus; & sic ipsa lex flagitat, *Memento diei Sabbathi*, &c.

β. Totus homo diem hunc sanctificat, externus & internus; manus opus servile præter opus necessitatis non perficit, Jer. 17: 22. pes non moveretur à Sabbatho; lingua non loquitur de rebus vanis & mundanis, sed de laude Dei & ædificatione proximi; aures vaniloquio non aperit, oculos ad res mundanas non vibrat, affectus componit; uno verbo diem agit deliciarum spiritualium, Es. 58: 13.

γ. Totum diem sanctificat; homo mundanus & carnalis hunc diem profanat, horas matutinas terit dormiendo, cùm somnum ultrà quàm cæteris diebus producit, sicque horas matutinas perdit, cibum & porum sumit largiter, iisque ut & ipso die abutitur, sicque hunc diem consumit edendo, bibendo, otio litando, dormiendo, & sub vesperam quiritatur de molestia

Sabbathi, nullumque tempus magis tædiosum esse quàm Sabbathi conqueritur. E contrario cor integrum sic non agit, sed religioni ducit ita Dei Sabbathum mutilare, & Deo quasi suffurari; & prout caveri furari proximo minimum obolum, sic multò magis Deo horam diei sui.

δ. Homo integer etiam ultrà procedit, ut non modò diem hunc sanctificet ipse, sed & omnes fidei suæ commissos ad sanctificationem ejus instiget secundum Dei mandatum, Exod. 20. filium, filiam, servum, ancillam, peregrinum, &c. Præpositus non permittet subditis & famulis suis ut ludant, vel otio torpeant, vel mundana tractent, cùm alii Sabbathum sanctis exercitiis transigunt; & sic Dominus ac Pater agit cum suis, nec patietur, ut filii vel servi profanent diem sacrum, &c.

4. Sincerus animo sincerè agit cum sanctis Dei in seqq.

4. Ratione piorum.

α. Sanctos Dei preciosos æstimat in oculis suis cum Davide, Psal. 16: 3. & sic affectus est quivis, in monte sanctitatis Dei habitaturus, ut diligat eos, qui Deum timent, amet ipsorum privilegia, originem seu regenerationem, promissiones & vitam in cælis paratam. Mendicus, qui piè & sanctè vivit, antecellit maximo Regi, qui impius & profanus est: hypocritæ admiranantur magnitudinem divitiarum, honoris, sapientiæ hominum mundanorum, & divitem Dei gratiam parvi æstimant in pauperibus, quantumvis polleant donis divinis, talia, quia in hominibus à mundo abjecti vident, spernunt.

β. Homo integer causam piorum agit, & cordi habet quas afflictiones & contumelias patiuntur, & si calumnias in ipsos audit, eas omni studio ab ipsis declinat, eosque defendit, ut fecit Jonathan, 1. Sam. 19: 5. Hypocrita non sic est affectus, sed si audit impios calumniari & aspernari pios, sine tædio concoquit, imò & confirmat, & risu profano nomen ipsorum traducit.

γ. Talis benefacit sanctis pro viribus, promptus est ad ipsos inserviendum manu, corde, linguâ, marsupio, labore, amicis, &c. omnia in ipso parata ad serviendum Dei servis. Si quare iis opus est vel in corpore, vel animo, sive quoad externam, sive internam conditionem, adest integer corde & manum adhibet, imò Deum laudat, qui occasionem benefaciendi pio obtulit; novit quippe, quòd, quæ sunt sanctis, à Deo censentur sibi facta, compensanda in æternum, Psal. 16: 2, 3. Carnalis verò iterum aliter affectus est, is enim seipsum & proprium commodum spectat, seu interim iter, seu cadat pius; nec ipsi curæ est salus & conditio Ecclesiæ.

δ. Homo sincerus delectatur consortione piorum, ut in exemplo Davidis & Jonathanis liquet; David semet proficitur socium sociorum Dei, Psal. 119. licet tanquam Rex nullum habuerit sibi similem, tamen ex subditis quasiavit socios timentes Dei; adeò ut integri corde non

non contemnunt societatem piorum, etiam ex infimis, sed eandem quaerant, ut qui sciant, quantum inde aedificationis affluat.

5. Ratione
S. ordina-
tionum.

V. Homo sincerus etiam se sincerè gerit erga reliquas Dei ordinationes, scilicet.

α. In omnibus ante omnia apparet coram facie Dei per preces gratiam & auxilium petens, sicque se agnoscit ad omnia debilem & indignum, nec sufficientem ad aliquid boni cogitandum, nedum efficiendum. Sic agit, accessurus ad conciones publicas, usus sacramentis, lecturus sacras Scripturas, vel aliàs in servitio Dei compariturus, Neh. 2: 4. Non sic agit hypocrita, qui semet arbitratur satis dignum in omnibus, adeoque necessariam non ducit ullam præviam præparationem.

β. Is, qui integro & candido est pectore, contentus non est externa cultus functione, sed cultum sincerè & toto animo peragit; non modo externam speciem, sed ipsam medullam & efficaciam pietatis prosequitur, obedit ex corde, Rom. 6: 17. Et cum sentit cor ineptum & somnolentum, vel aliàs contrariis motibus actum, contristatur, & Deum accedit cum Rebecca, quæ, cum sentiret gemellos in utero conflictantes, rogavit: *Quid hoc rei est, &c.* Non sic hypocritæ, dummodo externè semet cum Pharisæo sistere in templo, & religionem simulare queant, rem factam putant.

γ. Obedientia & cultus hominis integri universalis est, non modo in uno, sed in omnibus mandatis obedire studet, Deo quod Dei est dat, tum publicè, tum privatim; seque agnoscit debitorem proximo, cui omnia charitatis officia præstare satagit; imò obsecundare studet omni tempore, & ubique locorum, pro omnibus viribus, Tit. 2: 12. Phil. 4: 8. Luc. 16. Non sic hypocrita, obedit quando vult, ubi vult, pro lubitu, non pro Dei mandato; non ut Deo placet, sed ut sibi commodum autumat.

δ. Homo sincerus, cum quid boni agit, cum humilitate id agit, & pudore suffunditur, quòd semper nævos videat, nec majori cum perfectione præstare queat: hypocrita verò secum semper est contentus, sibi que fingit Deum esse debitorem, & plus quàm debitum efflagitat, præstitum esse; sicque sit arrogans, & opera sua ostentat, &c.

6. Ratione
solutius.

VI. Homo sincero corde etiam sui rationem gerit, præsertim in sequentibus.

α. Cor habet humile & vilis est in oculis suis, Job. 4: 2: 6. ipse contemnit sua & in pulvere requiescit, cum Apostolo se dicit minimum Apostolorum, maximum verò peccatorum, non nimium se vel sua dona extollit, seipsum maximè novit, & agnoscit cordis sui anfractus, nec in propriis viribus, sapientiâ, divitijs, pieta-

te fiduciam suam ponit: unde assidue, velur pauperrimus, gratiam Dei emendicat, & ante fores gratiæ jacet, ut pauper ille ante piscinam Bethsædæ, Joh. 5. Hypocrita viceversa arrogans variis imaginationibus tumet, ut Pharisæus, Luc. 18: 10. seqq. & cum Laodicensibus sibi videtur dives, licet sit pauperrimus, Apoc. 3.

β. Cor tale seipsum lubens examinat, ut statum suum probè dignoscat; & cum homo integer se sibi non auit committere, alios, qui candidi sunt pectoris, rogat, ut iudicium de se ferant; præsertim verò amat verbi Ministros, qui ad vivum verbo Dei penetrant; novit, quàm ardua sit res & negotium salutis, & quàm sedulus sit Diabolus ad eam subvertendam, quotque myriades hominum jam à salute deflexerit. Homo verò carnalis hoc tentamen, & hoc examen ferre non sustinet; nec ipse id facit, nec alijs committit.

γ. Homo talis cor habet frugiferum & fertile, ferens fructus internos & externos, bonas cogitationes, ardentis meditationes & desideria erga Deum, fructus charitatis, &c.

Et prout fructus fert animi, sic etiam fert fructus hominis externi, loquitur verba salutaria, quæ ad aedificationem spectant, Prov. 10: 31. Functiones ejus ad salutem aliorum faciunt, arbor est ferens fructus bonos: E contrario cor hypocriticum durum est & frugis expers; & si fructus fert, mali sunt, malitia scilicet superbia, fraus & injustitia.

δ. Talis sibi semper similis est in quavis societate, & quovis tempore, sive in templo sive domi suæ sit, cum quibusvis, sive bonis sive malis; semet non mutat, sed pius manet atque sincerus; & si fortè à bono avocatur, tum contristatur & conqueritur, nec requiescit, donec ad meliorem frugem deveniat. Hypocrita inconstans est & mutabilis, semper vento leniori & secundo semet obvertens, se conformat socio, tempori, occasione; si versatur cum bonis, se bonum simulat; si cum malis, iisdem sese conformat, instar Judæ, qui cum Christo se simulabat Apostolum, cum Sacerdotibus verò agebat proditorem.

Et hæc sunt qualitates & signa verè sinceri animi; sic se talis gerit erga

I. Deum { Patrem.
Filium.
Spiritus sanctum.

II. Verbum Dei;
III. Diem Domini;
IV. Sanctos Dei;
V. Ordinationes Dei;
VI. Seipsum denique. Concl. 1. Cor. 10:
15. 2. Tim. 2: 7.